

ΘΗΡΟΛΟΓΙΑ ΒΙΒΛΙΚΑ
CONTINENS

QVADRUPEDUM

terrestrium omnium in sacris
litteris contentorum quoad illorum
*Attributa, varios Usus, mysticas significatio-
nes & alia, quæ de iis affirmat S. Scriptura, cum
Explicationem, tum applicationem, inspersis, eno-
datisque Questionibus nonnullis dubiis ad rei
evidentiam facientibus,*

*Ex sacris litteris, Virorumq; Doctis-
simorum monumentis in Usum*

Theologiae Cultorum Practicum

concinata

Operâ atque studio

GODOFREDI MÜLLERI

Bitterf.

Marzahne Maj. Pastoris.

1. Cor. 10. v. 31.

**Quicquid facitis, omnia in glô-
riam DEI facite.**

•••••

WITTEBERGÆ,

Impensis Hæred. JOBI WILHELMI FINCELII.

Litætis JOHANNIS WILCKII.

ANNO 1076.

CAPUT XLI.

DE UNICORNE
SEU
MONOCEROTE.

DE montibus Africae Monocerotem facere literae spectandum producunt, Num. 23. v. 22. c. 24. v. 8. Deut. 33. v. 17. Hiob. 39. v. 1. Ps. 22. v. 22. 29. v. 6. 92. v. 11. Es. 34. v. 7. Ex his notabimus

I. *Natura Monocerotis descriptionem.*

II. *Vocula, sive nominis applicationem.*

MOMENTUM I.

DE MONOCEROTIS NATURA.

Antequam naturam Monocerotis exprimamus, quaerimus: *An detur Monoceros seu Unicornis?* Resp. Sunt qui in diluvio extinctum Monocerotem, & nunc tantum cornua illius (quae in Bohemia, Misnia atque Thuringiae finibus è terrae fodinis eruuntur, usumque in Medicina praestant exuberantem) residua volunt. Sed dari non solummodo animalia uno cornu in fronte praedita, ut sunt Asini atque Boves nonnulli Indiae, item Onyges & alia, verum etiam *Monocerotem* κατ' ἐξοχήν sic dictum, ceterisque omnibus contradistinctum, probat

CAP. XLII. De Unicornē seu Monoceros. 617
 bat. 1. *S. Scriptura*, locis sup. in limine hujus
 Capituli citatis, quæ testimonia à Viris *Ser-*
piuosis non ante, sed post diluviū prodire.
 Imo non nominat modò Scriptura *Unicornē*,
 verùm etiam eruditas valde ex natura hu-
 jus quadrupedis format *Imagines*, quod sane
 non fieret, nisi in rerum natura esset Uni-
 cornis. *Notetur tamen*, quòd in lingua san-
 cta *Monoceros* atque *Rhinoceros* de eodem
 participant nomine, quod est מִנְיָן à
 מָנָה exaltatus, seu altus fuit, unde pro-
 miscuè usurpatur, & modò *Monoceros*, mo-
 dò *Rhinoceros* à Bibliorum interpretibus
 vertitur. Sed differunt partim quoad
 Etymologiam, partim quoad ipsam natu-
 ram seu essentiam. Probant 2. *Doctorum*
monumenta. Videatur namque (a) Plinius,
 legatur (b) *Ælianus*, evolvatur (c) *Cæsar*,
 consulatur (d) *Albertus*, & alii benè multi
 nec non probati autores, & horum quisque
 nostram tuebitur affirmativam. 3. *Ipsa pro-*
bat Natura. *Monoceros* in diluvio si per-
 iisset, insignis natura accusanda esset defe-
 ctus. Homo cui deest digitus, integer &
 perfectus (quoad partes integrantes) dici
 nequit, multò minùs Natura, cui integritatis
 pars deesset non ignobilis. 4. Probat quoq;
divina providentia. Tanta profectò Crea-
 toris de Mundi integritate facta tecta ser-
 vanda

a) l. 8. c. 27.
Hist. nat.

b) l. 16. de
animal.

c. 20. & 30.

c) l. 6.
commen-
tar.

d) l. 2. de
animal.

vanda omnibus diebus fuit industria, ut ne diluvium vastissimum ullam submergere & extingvere potuerit speciem. Vid. Gen. c. 6. v. 19. 20. c. 7. v. 2. 3. 8. 9. Individua quidem periere innumera, nulla tamen animalium species.

His ita præmissis, recto jam tramite ad denudandam *Monocerotis naturam* decurrimus, quam sacra pagina ita dilucidat, ut cerni possit

I. *Proprietatum copia.*

II. *Cornu excellentia.*

in Zool.

I. *Proprietates Unicornis* quod attinet, bene monet B. Sperlingius *Physicorum*, quos Germania habet, Princeps: *diversissimas de hoc animali* (quoad ejus proprietates & alia) *circumferri Autorum narrationes, atq; sententias, quia pleriq; horum auriti potius sint scriptores, quam oculati testes.* Verum dixisse atq; scripsisse Sperlingium nec nos imus inficias, quotquot enim eruditorum de hoc animali evolvimus scripta, tot sententias deprehendimus, quot autores consulimus, & aliter hic, aliter iste, & ille aliter *Monocerotem* describit. In hoc tamen

Monoceros cum nonnullis brutis quædam habet communia.

coincidunt ferè omnes, quod *Monoceros* quoad formam externam cum nonnullis brutis atq; bestiis quædam habeat communia, v.g. cum *Cervo caput, cum Hirco barbam, cum*

Ele-

CAP. XLI. De Unicornē seu Monoceros. 619
*Elephanto pedes, cum Apro caudam, reliquo
 verò corpore Equo sit similis. Missis autem
 aliis, & à nostro instituto quasi alienis, iis
 contenti sumus proprietatibus, quas Scri-
 ptura de hoc quadrupede tradit, quarum
 quatuor sunt numero, utpote 1. Ferocitas.*
 Monocerotem ferocissimum esse animal,
 DEUS ipse coram Hiobo cap. 39. v. 12. seqq.
 his testatur verbis: *Nunquid volet Rbinoco-
 ros (Unicornis) servire tibi? aut ad pra-
 sepe tuum morabitur? h. e. num in stabu-
 lum se à te duci patietur, ut reliqua jumen-
 ta? Nunquid alligabis Rbinoceros ad aran-
 dum loro suo? aut confringet globas valli-
 um post te? Nunquid fiduciam habebis in
 magna fortitudine ejus, & derelinques ei la-
 bores tuos? Nunquid credes illi, quoniam se-
 pimentem reddes tibi, & in aream tuam con-
 gregabit? Qui sermo Jehovah proluxus hæc
 vult, Unicornem nullis artibus cicurari, nul-
 lis vinculis constringi, nullisque beneficiis
 mulceri posse, cum tamen bestia aliàs im-
 manissima, ut Leones, Tigrides, Pardi &
 aliæ cicurentur arte. Hinc *asperrima à Pli-
 nio dicitur fera.* Quin imò tanta huic feræ
 per naturam inest ferocia, ut desertissimas
 regiones, montesque altissimos & inaccessos
 incolens, reliquarum fugiat consortium fe-
 rarum.*

2. Robo.

2. *Roboris nobilitas.* Robur namq; hujus quadrupedis insigne ipse Jehova l. sup. cit. deprædicat coram Hiobo dicens: *Nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus?* & Num. 23. v. 22. ait Bileam de populo Israëlítico: *Ejus fortitudo similis est Rhinocerotis,* quæ verba non de DEO, cujus Cornu, i. e. Regnum unum est, ut explicat Orig. cuique cuncta subjecta sunt; sed de ipso populo Israëlítico esse intelligenda. paulo inf. patebit. Inde ob nimiam ferociam, nimiumq; corporis robur, nec non magnam pedum celeritatem inexpugnabilis à multis putatur, negatqve Plinius l. sup. cit. feram hanc vivam capi posse, cõsidere enim maximè pedum agilitati, cornuq; insuperabili, quò quicquid petat, perterebret.

3. *Animositas.* Hanc Vates ille ethnicus Bileam in quadam comparatione Num. 23. v. 22. & c. 24. v. 8. laudibus effert magnificis, quando de exercitu inquit Israëlítico: *Deus eduxit populum Israël de Ægypto, cujus fortitudo (seu animositas) similis est Rhinocerotis (alii Monocerotis vertunt, ut & Lutherus facit, qui ita reddit: Seine Freudigkeit ist wie etnes Einhorn.) Monocerotis nec vires corporis desunt, nec animi virtus, juxta Ps. 29. v. 6. ergo utramque experiiri fortunam semper est paratus, mediisque*

lata.

latetur in periculis; ita nec populus Israë-
liricus ullius hostis, etiam acerrimi metue-
bat impetum. De pullis Unicornium dicit
etiam Psalmus 29. v. 6. *Vox Domini exilire
facit Cedros Libani* (sublimes seu elatos in
mundo) *ut Vitulū Libanon & Siv on ut pullum
Unicornium.* Et sanè, habent Cedri Libani,
i. e. Magnates unde exiliant, fugunt enim
subditorum ubera, & ex his impingvescunt.
Est enim Primatum quorundam hæc vox in
subditos: *Quæ tua sunt, mea sunt.* Nec ton-
dent nonnulli pastores pecus, sed deglu-
bunt.

4. *Indomita feritas.* Unicornem nemo
subjugare potest, secundum Hiob. 39. cap.
v. 12. seq. quod de actu, non de potentia
domandi intelligendum esse putamus. Mo-
nocerotem nunquam esse domitum legitur,
verùm negatò actu, non statim neganda est
potentia. Potentia domandi æquè est in
Monocerote, atque est in Leone, Tigride &
aliis, quæ arre domantur, modò in juventu-
te, dum adhuc ab uberibus matrum pen-
dent, capiuntur. Quod autem actu non ci-
curentur Monocerotes, fit ex difficultate,
imò impossibilitate inveniendi seu adipi-
scendi Vitulos seu pullos.

II. *Cornu excellentiam* quod concernit,
extollitur illud non modò verbis magnifi-
cis

cis in sacris literis, verum etiam magni habetur à Pharmacopœis atque Medicis. Scriptura & in bonam & in malam partem cornu Monocerotis facit mentionem. In parte bonam Deut. 33. 17. inquit Moses de tribu Joseph: *Quasi cornua Rhinocerotis (Unicornis) cornua ejus, in ipsis ventilabit gentes.* Et Ps. 92. v. 11. ait David de Regno suo, (vel etiam de Regno Messie) *Exaltabitur sicut Unicornis, cornu meum.* In malam vero partem usurpatum legitur cornu Unicornis Ps. 22. v. 22. ubi Christus se à Judæorum sibi insultantium ferocia liberari petit his verbis: *de cornibus Unicornium libera me.*

Pharmacopœi atque Medici in magno pretio Cornu Monocerotis genuinum habent, idque præsentissimum adversus venena alexipharmacum dicunt, asseritque B. Sennertus, citante Sperlingio, *Cornu hoc præparatum adeò resistere veneno, & venenatis animalibus, ut si aranea etiam venenatissima circulo quodam pulverisati Cornu Unicornis occludatur, illam nullibi elabi posse, sed cornu hoc tanquam rem antipathicam fugere inq; medio circulo subsistere.* Tradunt nonnulli, in Africa ob infinitam serpentum multitudinem amas interdum integros infectos expurgari, si cornu hoc injiciatur. Sic in universo mundo Duo & duo sibi contrariantur.

Erantz. in
Hist. An.
p. 113,
nec non
Lorin. in
Num. p.
m. 891.

CAP. XLI. De Unicornes seu Monocerote. 623
trariantur, unum lædit, alterum medetur;
Mortem infert alterum, alterum expellit.

MOMENTUM II.

DE UNICORNIS APPLICATIONE.

Unicornis applicationē ex sacris petimus litteris, iisq; applicamus reb9, quib9 illz volunt, applicatum nimirum I. Populo Judaico, tum in genere, tum in specie. In genere in Oraculo Bileami, qui Num. 23. v. 22. & cap. 24. v. 8. de Exercitu Israëlitico seu Ecclesia militante Judaica coram Balak, Rege Moabitarum talia vaticinatur: Non est Idololum in Jacob, nec videtur simulacrum in Israël, & in seqq. pergit: Non est augurium in Jacob, nec divinationo in Israël i. e. populus iste, quem Deus eduxit de Ægypto, uti sequentia habent, non polluit sese idololatricis cultibus, aut deditus est magicis ac superstitionis artibus, ut gentes faciunt, sed Dominus Deus ejus cum eo est, ac clangor victoria Regis in illo. Fortitudo, LXX. ἡ δόξα αὐτοῦ, Gloria ejus similis est Rhinocerotis seu Monocerotis. Quæ ultima verba nonnulli ex Patribus & alii ad ipsum Deum referunt, cujus infinitam potentiam gloriamqve immensam Unicornis imagine quasi metiri & Balaaco ob oculos ponere

Q. 44.
 ponere Bileami mens h.l. sit ; Verùm, cum Theodoretò & aliis Theologis statuimus, comparationem hanc populo Israelitico optimè congruere. Non enim est Bileami propositū, divinā hoc loco delineare Majestatem, sed exercitum Israëlitarum ex voto Balaaci devovere, quam tamen execrationem Deus protector hujus populi eum benedictione permutabat. Hujus benedictionis verba illa Bileami. *Fortitudo ejus similis est Rhinocerotis*, pars minimè erant postrema. Vult enim his verbis τὸ αἰτίη τῶν τῆ λαῶν ἡ τῆ ἐπιδειγματῶ i. e. invincibilitatem populi per hoc exemplum (uti Apollinaris loquitur) exprimere, ita, ut quicquid hostes (Moabitæ imprimis) contra machinarentur, sive aperto Marte repugnando, sive maleficā aut magica arte execrando, nequicquam tamen hac in re proficerent : fortissimè enim hunc populum, quem etiam Moabitæ valde timerent, hostibus suis esse restitutum, neq; se subjugari passurum, quia Dominus Deus ejus cum eo, h. e. auxilio huic populo contra hostes quosvis DEUS sit. Sicut ergò nulla bestia Unicorni prævalere potest, sed omnibus ejus ira & fortitudo terrori est, (quicquid enim impetit, cornu vel ventilat, vel perforat;) Ita nulla gens etiam populosissima
 Alie

CAP. XLI. De Unicornes seu Monoceros. 629
filiis Israel, quàm diu in protectione Dei
commorabantur, & mandata ejus custodie-
bant, prævaluit, sed omnibus formidabi-
les & terrori fuerunt, nec resistere illis quis-
quam ausus est Deut. 32. v. 25.

Quod de Ecclesia militante judaica h. l.
quasi in typo cecinit Vates Idololatericus Bi-
leamus, id ipsum de Ecclesia militante Chri-
stiana etiam affirmari potest, quæ Unicorni
similis est. (1.) *ratione solitudinis.* Mo-
noceros ab aliis semotus creditur animalibus:
Ita Ecclesia à sodalitate mundi est aliena.
*Si de mundo fuissetis, mundus, quod factum
est, diligeret, quia verò de mundo non estis,
sed Ego delegi vos de mundo, propterea odit
vos Mundus* inquit Christus Joh. 15. v. 19. (2.) *ra-
tione fortitudinis.* Fortissimū & insuperabile
animal Unicornis est; Sic Ecclesia freta Dei
verbo, tanquam cornu firmissimo, est inex-
pugnabilis, non enim hæreticos cæterosq;
hostes, imò ne inferorum portas extimescit.
Hæc enim de potestate Satanz ac tenebra-
rum infernalium per Christum Jesum, Do-
minum ac Deum suum liberata, hostium tam
corporalium, quàm spiritalium multitu-
dine nihil movetur, sed freta divino verbo
atq; auxilio tanquam cornu suo, non solum
hæreticos prostermit & eorum strophas sub-
dolas ventilat atqve perterebrat; verùm
R r ipsum

ipsum quoque Diabolum. Mortem & maledictionem contemnit, exclamans cum Esaia :
In Domino (Jesu Christo) *mea sunt justitia & robur*, quippe quæ novit se adversus Diaboli accusationem Legis maledictionem mortisque terrorem ac ipsum infernum in Christo consistere, victoriamque obtinere posse. (3.)
ratione alacritatis spiritualis. Exiliunt pulli unicornium ad vocem Domini, secundum Pl. 29. v. 6. Sic & *vox Christi* (Evangelium) *exilire facit non solum omnia ligna sylvarum*, Pl. 96. v. 12. *verum etiam Cedros Libani*, prout verbis hisce metaphoricis Psaltes spiritualem piorum lætitiâ & promptitudinem in præceptis Domini per gratiam Spiritus S. ambulandi exprimit, cui non saltem *ligna Sylvarum*, i. e. plebeji, verum etiam *Cedri Libanon*, h. e. in mundo eminentes sunt dediti. Vid. Gesn. in h. l.

In specie verò applicatur nomen *Unicornis* i. *Tribui Joseph*, in generali illa benedictione, quâ Moses Vir ille Dei duodecim tribubus Israël benedixit. In hac solenni benedictione, de tribu ad tribum progrediens Moses periodo quinta descendit ad tribum Joseph, cui hunc in modum bene precatur Deo. 33. v. 13. *De benedictione Domini terra ejus*, &c. tandem v. 17. in hac eruptive verba : *quasi primogenitum sicut patrem dabo ejus*

CAP. XLI. De Unicornis seu Manocerote. 627
 ejus, cornua Rhinocerotis (Unicornis) cornua
 ejus, in ipsis ventilabit gentes usq; ad terminas
 terra. Describit vir *Ἰσὼφύτης* verbis his
 metaphoricis *partim* Tribus Josephi splen-
 dorem, ob terræ, quæ per sortē ipsi contige-
 rit fertilitatem, proventusq; ubertatem, &
 quibus pulchritudinem sibi sit conciliatura
 tanquam primogenitus taurus optimis pa-
 scuis probè nutritus & pinguefactus: *par-
 tim* bellicam ejus fortitudinem, quia futu-
 rum sit, ut multitudines atq; myriades
 Ephraim, & millia Manasse habeant re-
 gnum magnâ potentiâ instructum, ad vim
 tam repellendam, quàm inferendam, prout
 facere solent feræ ac bruta cornibus ar-
 mata.

2. *Regno Messia*, h. e. Ecclesiæ, juxta Psal.
 92. v. 10. ubi David in persona Christi: *Exal-
 tabitur ut Unicornis, cornu meum.* Per Cor-
 nu Regnum intelligit non modò Israëlitico-
 politicum, à se constitutum, bonisq; legibus
 corroboratum; sed & Regnum Israelitico-
 Ecclesiasticum, vaticinaturq; de Ecclesiæ
 N. T. augmento & splendore, ita ut per
 prædicationem Evangelii in toto mundo
 futura sit conspicua. Est enim Ecclesiæ ve-
 xillum Dei & Christi, quod stat in signum
 populorum, ad quod populi certatim con-
 flunt, sicut prædixit Esaias c. 11. v. 10. *Com-*

plectitur autem Psalmista Cornu nomine præcipuum Ecclesiæ piorumq; decus, veram nimirum Dei agnitionem, timorem, invocationem, Spem, & imprimis fiduciam salvificam, quâ soli pii contra impetum mundi, diaboli atq; inferni muniti se defendunt, tanquam Unicornis cornu suo insuperabili adversus ingruentes hostes se defendit. *Est namq; fides Victoria, quæ mundum vincit*, secundum Aphorismum Apostolicum 1. Joh. 5. v. 4.

3. Accommodatur nomen Unicornis *iniquo Magistratui*, Esa. 34. v. 7. ubi Propheta potentibus Moabitarum talia minatur: *Descendent Unicornes cum iis, & Tauri cum pingvibus bobus*. Quæ locutione Propheta impio Moabitarum Regi & illius Officialibus, nec non subditis interitum & temporalem, & æternum minatur. Sunt autem impii, crudeles atq; tyrannici Magistratus in subditos Unicornes (i.) *ob belluinum affectum*. Unicornis neq; arte, neq; beneficiis cicuratur, ut suprâ evictum est; Sic impius atq; tyrannicus magistratus omni humanitate exutus, nec precibus nec lacrimis suditorum ad misericordiam flectitur. Exemplum habemus illustre in Pharaone, Rege Ægypti, in Israelitas nimis duro. Hic neque supplicationibus, neq; suspiriis Israelitarum .erat

CAP. XLI. De Unicornē seu Monoceros. 629
 erat emolliendus, Exo. i. v. 8. seqq. c. 5. v. 7.
 seqq. & al. in Basilide Rege Moscoviæ admo-
 dum rigido, in Nerone & aliis plurimis,
 quibus cor bestiale in humano fuit pectore.
 (2.) *ob truculentum effectum.* Unicornis in
 quævis hostilia crudelē exercet vindictam,
 stragemq; edit cornu terebrante cruentam.
 Quam tragicos athei atqve tyrannici magi-
 stratus ediderint effectus, historia inter cæ-
 tera testatur abunde Ecclesiastica.

4. Tribuitur nomen Unicornis *Christi*
persecutoribus, quando hostium rabie pres-
 sus, tempore passionis ad Patrem Ps. 22. v. 22.
 ita clamat Christus: *Erue à canis manu*
animam meam, serua me ab ore Leonis, & à
cornibus unicornium exaudi me. Causam
 cur Christi hostes bestiis tam sævissimis
 comparentur, paraphrasis observante Ges-
 nero, exprimit Chaldaica, quæ *Canibus* com-
 parari vult Judæos propter impietatem;
Leonibus propter potentiam; *Unicornibus*
 propter superbiam atqve ferociam. Vocula
 enim 𐤒𐤍 à Rad. 𐤒𐤍 vel 𐤒𐤍
 quod alium seu elatum esse significat, Chal-
 dæus & LXX. reddiderunt substantivè, Uni-
 cornes. Unicornis ergo juxta fontem no-
 men habet à superbia. In specie tamen ho-
 stes Christi Unicornibus comparari possunt
 (1.) *quæ ad morem antiquum, animumq; in-*

R. r. 3;

duca-

duratum. Unicornis ferum manet animal, nec unquam mansvescit; Sic Judæi antiquum obtrinentes, nunquam à Christo ad bonam frugem se duci passi sunt. (2.) *ob impetum in Christum factum.* Unicornis cornu suo adamantino impetum in obvia magno conatu facit: Anne Judæi cornu suo pestifero, potentiam nimirum Herodis, nec non Romani præsidis Pilati freti impetus in Christum fecerunt maximos, insanos, cruentos, ipsum non solum in horto capiendò & ligandò, verum quoque virgis usque ad cruciorem cadendò, tandemq; crucifigendò? (3.) *ob horrendum boatum.* Unicornis ditam edit vocem, mugitumque gravem & horrendum: ad eundem modum Judæi tempore patientis Christi plenis buccis adversus Christum in prætorio Pilati clamabant: *Tolle, crucifige eum, qui Unicornium clamor magis magisq; ingravescens, Pilatum ad crucifigendum Christum allexit.*

5. *Ipsi Christo assignatur nomen Unicornis, qui Ps. 92. v. 9. 10. in persona Davidis ita: Ecce, inimici tui, Domine, ecce inimici tui peribunt. Dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem. Et exaltabitur ut Unicornis cornu meum.* Cornu in sacris literis trifariam accipitur: *primò* significat Regnum seu imperium, Dan. 7. v. 7. 8. ubi Monarchiæ quartæ detem

CAP. XLII. De Unicornes seu Monoceros. 69.
 decem cornua, h.e. totidem regna tribuuntur, quæ phrasis etiam Johanni Theologo in Apocalypsi est familiaris. Deinde significat potentiam, uti colligere licet ex 1. Reg. 22. v. 11. ubi Sedekias Pseudo Prophetarum chorus hæus exercitus Ahabi potentiam ferreis, quæ ad falsò persuadendum Regem sibi paraverat, adumbrat Cornibus, quibus exercitus Syriaci contundere debeat potentiam. Tertiò, significat lumen, seu luminis splendorem, quemadmodum Exod. 34. v. 29. seqq. de facie Moïsis dicitur, quòd coruscaverit, quam coruscationem sive quem splendorem vocabulum Hebr. קרן coruscavit, à quo קרן cornu, (referunt enim cornua formam radiorum, & vicissim radii cornuum,) exprimit. Cujus vocabuli sinistra interpretatio hunc in nonnullorum animis peperit errorem, ut Moïsen finxerint atque pinxerint cornutum. Quæ trifaria vocis cornu significatio Christo, qui cornu salutis, Luc. 1. v. 69. optimè congruit. Est enim Christo Regnum, non terrenum atque caducum, sed cœleste & æternum, teste Dan. c. 62. v. 44. & c. 4. v. 21. Ps. 45. 7. Heb. 1. v. 8. Joh. 18. v. 36. Est & ipsi potestas infinita, Dan. 4. v. 31. Matth. 28. v. 18. Deniq; lumen est Christo, quia ipse Lumen de Lumine natus, ut eum vocat Athanasius in Symbolo. Unde

Et 4

Splen-

Splendor divinæ gloriæ, Hebr. 1. v. 3. Lumen mundi in tenebris lucens, h. e. mundum illuminans, Joh. 1. v. 9. & c. 8. v. 12. vocatur. Ut verò collationem quandam inter Christum & Unicornem instituamus, dicimus similitudinem consistere (1.) *in fortitudine insuperabili.* Unicornis, cui nulla vis (præparata humana) potest resistere, maximum robur habet in capite: Talis & Christus est, cui nullus similis est inter fortes. Habet verò fortitudinem in capite, h. e. à divinitate, caput enim Christi Deus est, 1. Cor. 11. v. 3. (2.) *in ardente amore.* De modo Unicornem capiendi non tam verè, quàm pietraditur, illum nunquam à venatoribus capi, nisi in Virginis cujusdam suavolentis gremio sopitum. Unigenitus in sinu Patris captus amore nostri, in sinum S. Virginis Mariæ descendit, ut à sanguinolentis caperetur venatoribus, Judæis. Hinc eleganter Rupertus: *Fontissimus Spirituum Deus (Filius Dei) velut Unicornis, h. e. potentia singularis, Deus incomprehensibilis, Deus invictæ virtutis, virginæ tractus est odore ventris, Virginem expetiit, virginæ pudoris claustris inclusus est, ex eo tantum comprehendere potuit, & occidi.* (3.) *in virtute admirabili.* Aquæ Serpentum veneno infectæ, vel transitu Unicornis corrigi dicuntur à nonnullis, vid.

hypocriticam : *Elephanti pedes* in errore perseverantiam ; *Equi Corpus* lasciviam : *Barba Hirci* seducendi audaciam &c. Atq; sic *Unicorne* pro virili prostratō. calamū in *Ursū* jam acuimus villosū *Bone JESU*, qui cornua *Unicornium*, i. e. impiorum impetum, audaciam atq; furorem ipse es expertus, custodi, quæsumus, ab ejusmodi bestiis animalas nostras, franged, omnem vim impiorum in Ecclesia perniciem directam, ut misere tua animalia in te latentur !

CAPUT XLII.

DE

URSO ET URSA.

U*rsū* villosū & murmurantem, Hebr. **אֲרִיסָא** אֲרִיסָא murmurare. susurrare, in Scripturarum sylvā deprehendimus latitantem (1.) 1. Sam. 17. v. 34. seqq. in *Davidis cum Saule colloquio* : (2.) 2. Sam. 17. v. 8. in *militum Davidicorum encomio* : [3.] 2. Reg. 2. v. 24. in *tragico puerorum Bethelaorum occidō* (4.) in *Salomonis adagio*, Prov. cap. 17. v. 12. &c. 28. v. 15. (5.) in *vaticinio prophetico*, nōm. Esa. capp. 11. v. 7. &c. 39. v. 14. Thren. 3. v. 10. Dan. 7. v. 5. Am. c. 5. v. 10. Hof. c. 13. v. 8. (6.) in *Sapientia* c. 11. v. 18. & *Synonimo* c. 47.

v. 3.